

gasset, explorasset, revelasset? Testis erit Hispania, Hot-  
landia, Anglia, quanto ipsis peregrinationes illæ fuerint;  
& adhuc sint commoda.

Hinc tibi vberrima messis, nec quicquam aliud dee-  
rit, nisi tibi ipse ignaviâ & otio desis. Domi desidens  
piger nec laboris expers, horrea aliorum videbis plena,  
tua vacua; ast tuâ culpâ.

Nec parum ad mores facit peregrinatio. Reddimur  
longa rerum experientia humani, patientes laborum &  
adversorum. Et quem fortuna ita facit mitem, facile ea-  
dem afflictis fidem habere poterit. Audi Didonem Vir-  
gilianam:

*Non ignara mali, miseri succurrere disco.*

Illi vero qui limen patriæ nunquam egressi, nec vi-  
lum iter aggressi, erga peregrinos semper asperiores sunt  
& inhumaniores. Ut autem veram indueris virtutem,  
bonisque moribns conformeris, tria suggero: Scientiam,  
**Abstinentiam**, & **Conscientiam**. Scientia quæ recolen-  
da, quæ convertat ad modestiam, quæ mores corrigat,  
animum turbidum sordidumque illustret & tranquillet.  
Ecquid enim scientia, remota morum probitate? Execra-  
biles sunt illæ literæ, quæ non ad bonam mentem ducunt,  
ait Seneca. Comes est Abstinentia, quò mala illa foluta  
& ingenia petulca supra ipsam pestem fugias. Non enim  
hæc magis corrumpendo corpori, quam illa animo. Com-  
merciū tibi sit cum bonis, fuga à malis. In urbe ybi lu-  
ces, yitas domos, aut vias totas is infames: & hīc fugiat  
quis homines, etiam loca vitijs nota & infecta.

Nulla res, inquit Seneca, magis animos induit hone-  
stos, & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam  
**bonorum Conversatio**; paullatim descendit in pectora, &  
vim